

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Caput CCVIII. Christus Ex Mortuis Resuscitatus Mariae Magdaleneae
Apparet.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617

CAPUT CCVIII.

CHRISTUS EX MORTUIS RESUSCITATUS MARIÆ
MAGDALENÆ APPARET.

MARC. 16. v. 9. JOAN. 20. v. 11.

RATIO ORDINIS.

MAnc Historiam de apparitione Christi facta Mariæ Magdalena præcedere eam, quæ describit manifestationem Christi factam discipulis in Emaus, patet ex eo, quod Marcus dicit, Christum ex mortuis resuscitatum, *πρῶτον*, primo loco apparuisse Mariæ Magdalena. Ex eo ipso etiam intelligitur, hanc apparitionem Christi præcedere eam, quæ facta est mulieribus alterâ vice ad sepulchrum abeuntibus & ab eo reversis. Quamvis enim Marcus eam prætermittat, & secundo loco discipulis in Emaus abeuntibus Christum apparuisse commemorat, tamen ex aliis Evangelistis intelligitur, quod inter eam manifestationem, quæ facta est Mariæ Magdalena & inter eam, quæ facta est discipulis in Emaus abeuntibus inferenda sit ea, quæ contigit mulieribus à sepulchro reversis, siquidem eam, quæ facta est discipulis in Emaus abeuntibus immediatè sequitur, quæ discipulis omnibus unâ congregatis vesperi contigit. Baron. in annal. ann. 34. n. 183. Didacus de Yangas conc. 2. de resurrect. p. 433. ac Tornielus in annal. sacris ann. mund. 4084. num. 30. Scriptores Pontificii statuant, Christum in ipsa resurrectionis die, imò hora primò omnium apparuisse B. virgini Mariæ matri suæ, cui potissimum hæc singularis læticia & gloria debita fuerit, quæq; præ incomparabili amore plus cæteris omnibus de Filii sui passione doluerit. Lud. Carthusiensis etiam gestus & colloquia illius apparitionis describit p. 2. de vit. Christ. c. 70 Rupertus Tuitiensis lib. 7. de div. officiis c. 25. multis rationibus hanc sententiam conatur demonstrare. Sed hæc opinio nititur meris conjecturis, cum Scriptura non solum silentio, verum etiam contrariâ affirmatione in dubium eam vocet, quando Magdalena Christum, primò apparuisse asserit Marc. 16, 9. Adde quod nec Augustinus nec alius ex veteribus, si excipias Sedulium, hujus apparitionis mentionem faciunt. Major lux fidei erat in Maria, quàm vel in mulieribus, ungendi corporis Domini ergo, ad sepulchrum abeuntibus, vel in discipulis Christi; vaticinia de resurrectione Filii sui præclare noverat, ideo sub cruce steterat, nec indigebat tot manifestationibus ac apparitionibus, quibus in fide resurrectionis confirmaretur, interim non negamus, Christum etiam matri suæ cum reliquis discipulis congregatæ intra quadraginta illos dies aliquoties apparuisse, ante suam in cælos ascensionem. Porro opinio illa, quod Christus primo omnium matri suæ apparuerit, videtur orta ex eo, quod Ephiphanius

tom. 2. lib. 3. hæref. 68. contra Messalianos ad Mariam matrem Domini dicta esse statuit, quæ Mariæ Magdalena dicta Evangelistæ notanter asserunt, sic enim scribit: *Φήσας τῇ μητρὶ αὐτῆς, μη μὴ ἀπύει* &c. Secuti igitur descriptionem Evangelistarum statuimus, Christum ex mortuis resuscitatum primo loco Mariæ Magdalena apparuisse. Cogitari autem potest, quod cum Petro & Joanne statim ad sepulchrū cucurrerit, atq; ipsis præ metu Judæorum mox digressis aliquandiu ibi flens atq; gemens subfiterit, vel quod ponè eos secuta fuerit, atq; illis per aliam viam digressis, circa sepulchrum Angelos & CHRISTUM ipsum viderit. Atq; hoc fuit alterum Mariæ Magdalena iter ad sepulchrum in ipso resurrectionis die, nam in primo suo ad sepulchrum habitu nec Angelos nec CHRISTUM, sed lapidem tantum ab ostio monumenti remotum & sepulchrum vacuum viderat, neq; dum à reliquis mulieribus quippiam inaudierat de concione Angelorum resurrectionem Christi nunciantium, alias non dixisset ad Apostolos: *Tulerunt Dominum meum & nescimus, ubi posuerunt eum*, id quod etiam num. h. l. repetit. Sed quomodo cum ferie Historiæ convenit, quod Apostoli, quibus Maria Magdalena manifestationem Christi, redivi nunciat, dicuntur adhuc lugere & flere, Marc. 16. v. 10. cum tamen à reliquis mulieribus audissent, resurrectionem Christi per Angelos sibi manifestatam? Resp. audierant quidem à mulieribus Apostoli *ἠγγέλιον*, & concionem Angelicam, de Christi resurrectione, sed non habebant verbis earum fidem, quinimò nugæ ac fabulas se audire, statuebant, ut disertè testatur Lucas c. 24. v. 11. Quid ergo mirum, quod adhuc lugere ac flere dicuntur, cum Maria Magdalena lætissimum de apparitione Christi ipsis afferret nuncium? quinimò ne quidem Mariæ Magdalena verbis de Christo vivo à se conspecto credebant, ita enim disertè loquitur Marcus c. 16, 10. *Maria Magdalena nunciabat* (Christi manifestationem sibi factam) *Apostolis v. 11. sed illi audientes, quod viveret, & ab ipsa conspectus esset, non credebant.* Hoc non potest eo modo intelligi, quod primo duntaxat Mariæ Magdalena nuncio de sepulchro vacuo non habuerint fidem, sed quod ne alteri quidem nuncio de ipsius Christi apparitione credere voluerint, id enim ipsis visum fuit plane *ἀτόπων ἔργον*, *ἡ πείσως ἀνάξιον*, donec tandem Christus ipse veniret & multis *τεκμηρίοις* resurrectionem suam illis confirmaret.

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta.

LI

HI-

HISTORIA DE PRIMA CHRISTI RESUSCITATI APPARITIONE
FACTA MARLÆ MAGDALENÆ.

MARC. 16.

9. Ἀναστῆς ὁ Ἰησοῦς πρῶτῃ πρώτῃ Σαββάτῃ ἐΦάνη πρῶτον Μαρίας τῆ Μαγδαλιῆ, ἀφ' ἧς ἐκβέβληκε ἐπὶ τὰ Δαιμόνια.
10. Εκείνη πορεύθη ἀπήγγελε τοῖς μετ' αὐτῆς ἄνδράσι πένθος καὶ κλαῖσι.
11. Καὶ κείνοι ἀκούσαντες ὅτι ἦ καὶ ἐθεάθη ὑπὸ αὐτῆς ἠπίσησαν.
9. Cum surrexisset autem Jesus mane, primo die Sabbati tibi apparuit primùm Mariæ Magdalene, de qua egerat septem Dæmonia.
10. Illa profecta renunciavit iis, qui cum illo fuerant, lugentibus ac flentibus.
11. Et illi, cum audissent, quod viveret ac visus esset ab illa, non crediderunt.

JOHANN. 20.

11. Μαρίας ἡ εἰσήκει πρὸς τὸ μνημεῖον κλαῖσαι ἔξω, ὡς ἐν κλαίῳ, προσκυψεν εἰς τὸ μνημεῖον.
12. Καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους ἐν λευκοῖς καθήμενους ἐνα πρὸς τὴν κεφαλὴν καὶ ἕνα πρὸς τοὺς πόσιν, ὅπως ἐκειτο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ.
13. Καὶ λέγουσιν αὐτῇ ἐκεῖνοι· γύναι, τί κλαίεις; λέγει αὐτοῖς, ὅτι ἤρανον τὸ κύριον μου καὶ οὐκ οἶδα πῶς ἐθηκαὶ αὐτόν.
14. Καὶ ταῦτα εἰπὼσα ἐστράφη εἰς τὸ ὀπίσω, καὶ θεωρεῖ τὸν Ἰησοῦν ἐστῶτα, καὶ οὐκ ᾔδει, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἦεν.
15. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, γύναι τί κλαίεις, τίνα ζητεῖς; ἐκείνη δοκῶσα ὅτι ὁ κηπουρὸς ἔστι, λέγει αὐτῷ κύριε, εἰ σὺ ἐθάψασας αὐτόν, εἰπέ μοι πῶς αὐτόν ἐθηκας, καὶ γὰρ αὐτόν ἀρῶ.
16. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Μαρία, στραφῆσαι ἐκείνη λέγει αὐτῷ, ῥαββωνί, ὁ λέγε, διδάσκαλε.
17. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, μη μου ἀπλῆ (ἢ πῶρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου,) πορεύου ἢ πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου καὶ εἰπέ αὐτοῖς, ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μου καὶ θεόν ὑμῶν.
18. Ἐρχεται Μαρία ἡ Μαγδαλιῆ ἀπαγγέλλουσα τοῖς μαθηταῖς, ὅτι εἶδεν κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ.
11. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo ploret, inclinavit se in monumentum.
12. Et vidit duos Angelos amictos albis sedentes, unum ad caput & alterum ad pedes, ubi posuerant corpus Jesu.
13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras, dicit eis, sustulerunt Dominum meum & nescio ubi posuerunt eum.
14. Hac cum dixisset, conversa est retrorsum & videt Jesum stantem, nec sciebat quod Jesus esset.
15. Dicit ei Jesus, Mulier quid ploras, quem queris? illa existimans, quod hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu asportasti eum, dicito mihi, ubi posueris eum, & ego eum tollam.
16. Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magister.
17. Dicit ei Jesus, noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum. Sed vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum.
18. Venit Maria Magdalena, annuncians discipulis, quod vidisset Dominum, & ea dixisset sibi.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM
HUIUS HISTORIÆ.

Marcus brevibus complectitur manifestationem CHRISTI Mariæ Magdalene factam, quam Johannes latius describit. Verba igitur Marci in Harmonia velut proœmii loco verbis Johannis præmitti possunt, sed Bugenhagius post descriptionem Johannis ea collocat, ut

sint velut brevis quædam repetitio Historiæ, quæ series cum sit concinna, idè & nos in coagmentatione Harmoniæ eam sequemur.

* * * * *

Harmonia hujus Historiæ.

Μαρία ἡ εἰσῆκε πρὸς τὸ μνημεῖον κλαίσα ἔξω. αἷς ἐν κλαίει, παρεκύνθη εἰς τὸ μνημεῖον. καὶ θεωροῦντες δύο Ἀγγέλους ἐν λευκοῖς καθήμενους, ἕνα πρὸς τὴν κεφαλὴν καὶ ἕνα πρὸς τοὺς πόδας, ὅπως ἐκεῖ τὸ Ἰῶμα ἔκειτο. καὶ λέγουσιν αὐτῇ ἐκεῖνοι. γύναι τί κλαίεις; λέγει αὐτοῖς, ὅτι ἤρανον τὸ κύριόν μου καὶ οὐκ οἶδα πῶς ἔζηκον αὐτόν. καὶ ταῦτα εἰπὼσα ἐστράφη εἰς πρὸ ὀπίσω, καὶ θεωροῦντες τὸν Ἰησοῦν ἐστῶτα, καὶ οὐκ ᾔδει, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἔστι. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, γύναι τί κλαίεις, τίνα ζητεῖς; ἐκεῖνη δοκῶσα ὅτι οὐκ ᾔδει, λέγει αὐτῷ, κύριε, εἰ σὺ ἐβάπτισας αὐτόν, εἰπέ μοι πῶς αὐτὸν ἔζηκας, καὶ γὰρ αὐτὸν ζῶσα λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Μαρία. Σε θαυμάσια ἐκεῖνη λέγει αὐτῷ, ῥαββουθι, ὁ λέγε; διδάσκαλε. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, μὴ μου ἀπτε, ὅπως γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου, πορεύου ἢ πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου καὶ εἰπέ αὐτοῖς, ἀναβάντα πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεὸν μου καὶ θεὸν ὑμῶν. ἐκεῖνη (ἔστι) ἡ Μαρία ἡ Μαγδαλένη, ἀφ' ἧς ἐβέβηκε (ὁ Ἰησοῦς) ἐπὶ τὴν Δαιμόνια, ἢ ἀσπίδος πρῶτον πρὸς τὴν Σαββάτου ἐφάνη πρῶτον, καὶ ἐκεῖνη πρῶτον εἶσα ἐρχεται ἀπαγγέλλουσα τοῖς μαθηταῖς αὐτῆς ἡγουμένους τοῖς μαθηταῖς πενθῶσι καὶ κλαίοντι, ὅτι εἰς ἔρημον τὸ κύριον, καὶ τὸ ἔπει αὐτῇ. Κατακρίνοι ἀκούσαντες ὅτι ζῆ καὶ ἐθεάθη ἑαυτῆς ἡπίσησαν.

Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fletet, inclinavit se in monumentum. Et vidit duos Angelos amictos albis sedentes, unum ad caput & alterum ad pedes, ubi posuerant corpus JESU. Dicunt ei illi. Mulier, quid ploras? dicit eis, sustulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum. Hec cum dixisset, conversa est retrorsum, & videt JESUM stantem, nec sciebat quod JESUS esset. Dicit ei JESUS, Mulier, quid ploras? quem quaris? illa existimans, quod hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu asportasti eum, dicit mihi, ubi posueris eum, & ego eum tollam. Dicit ei JESUS, Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei JESUS: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Sed vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum. Hec (est) Maria Magdalena, de qua ejecerat (Jesus) septem Dæmonia, cui, cum surrexisset manē primo die Sabbathi, apparuit primum, & illa profecta venit annuncians eis, qui cum illo fuerant discipulis lugentibus ac stentibus, quod vidisset Dominum; & ea dixisset sibi. Et illi, cum audissent, quod viveret ac visus esset ab illa, non crediderunt.

Exegesis hujus Historiæ.

Go diligentes me diligo & qui mane vigilaverint ad me, invenient me, inquit Sapientia increata, hoc est, Filius Dei Christus Jesus Prov. 8. v.17. Hanc benevolam suam promissionem comprobavit ipso facto quando Mariæ Magdalena ex dilectione ipsum sollicitè quærenti primæ omnium post resurrectionem suam apparuit. Caritas urgebat Mariam Magdalenam, ut Christum sollicitè quæreret; caritas urgebat Christum ut Mariæ Magdalena diligenti & ex dilectione quærenti occurreret. Caritas trahit caritatem: caritas caritati occurrit. Hæc prima Christi post resurrectionem manifestatio Mariæ Magdalena facta in præsentem describitur pericope, cujus hæc est summa. Maria Magdalena vel unâ cum Petro & Johanne ex urbe ad sepulchrum abiërat, vel cominus eos secuta erat. Illis igitur digressis hæc aliquandiu sepulchro adhuc astat, cum lachrymis illud introspicit, quæ occasione non solum Angelos, sed Christum ipsum redivivum conspicit, proponuntur igitur in hac Historia, 1. Mariæ Magdalena circa sepulchrum lamentatio, 2. Angelorum apparitio, & 3. ipsius Christi manifestatio.

1. Petro & Joanne ad urbem regressis Maria Magdalena circa sepulchrum manet eis ἔξω πρὸς μνημεῖον, stat ad sepulchrum, agrè ab eò divellitur, quod amoris erga Christum, cujus corpus huic sepulchro concreditum fuerat, est argumentum, reposcit quasi ab eo, quod ante triduum ei concreditum erat. Est etiam hoc ipsum animi præsentis indicium. Petrus & Johannes veriti, ne in suspicionem criminis de sublato CHRISTI corpore

vocarentur, citò redeunt ad urbem, sed Maria Magdalena animo virili aliquandiu adhuc astat sepulchro, exactius rei veritatem inquisitura. Augustinus tractat. 121. in Johan. viris recedentibus infirmiore sexum in eodem loco fortior figebat affectus. Astat autem foris, vel quia superfluum judicabat denuò sepulchrum ingredi, vel quod à comitibus suis, vel religione quadam ac metu ab ingressu prohiberetur. Astat sepulchro quod vacuum inventum esse audierat, κλαίσα, flens, ac plorans. Amor faciebat stare, dolor autem cogebat plorare; nesciebat enim quid corpori Christi accidisset, putabat vel furto sublatum, vel aliò in sepulchrum honoratius ex hac Calvaria vicinia translatum, conqueritur igitur cum gemitu ac lachrymis, quod ne quidem extremum illum unctionis honorem demortuo exhibere possit, cum nesciat, quò repositum sit Domini corpus; vel si furto sublatum statuit, duplicata est doloris causa, quod ne quidem demortui corpus à Judæorum crudelitate liberum esse potuerit. Veteres ad lachrymas Mariæ Magdalena accommodant illud Psalm. 42. v.4. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Nec solum flens ac gemens sepulchro astat, sed etiam ἐθρογμένη, incurvata in sepulchrum introspicit præ desiderio inveniendi corpus CHRISTI & explorandi rei certitudinem, sicut à Johanne, factum viderat, quemadmodum nos, si rem amissam quærimus, sæpius ad eum locum respicimus, ubi eam nos prius habuisse meminimus. Augustinus loco dicto prospexit, vel quia nimium dolēbat, nec suis nec illorum (Petri & Johannis)

oculis facile putabat esse credendum: vel potius divino instinctu in animo ejus effectum est, ut prospiceret. Quamvis verò ex ignorantia prædictionum de Christi resurrectione hi gestus Mariæ Magdalene proficiscantur, affectus tamen amoris erga Christum & desiderium rei cognoscendæ ad imitationem nobis proponuntur. Sunt hæc lacrymæ intempestivæ, quia furto sublatum judicabat eum, qui regnabat vivus, interrim docent nos, quòd summum malum & feriis lacrymis dignum æstimare debeamus Christum. amittere, quia Christus est lux animæ, gaudium cordis, justitia, resurrectio & vita, amisso Christo hæc omnia amittuntur, ecquis igitur amisso Christo lacrymas contineat? quomodo autem tum verè & ὀρθῶς per apostasiam & peccata contra conscientiam, tum apparenter & ὁμοίως in tentationibus Christus amittatur, id alibi expositum fuit in Post. Ecclesiast. Dom. 1. post Epiph.

2. Cùm Maria Magdalena absq; intermissione sepulchrum hoc modo introspiceret, videt Angelos duos amictos albis sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, ubi posuerunt corpus Jesu. Duos illos Angelos, qui à reliquis mulieribus circa sepulchrum Dominicum visi erant, Lucas vocat viros à forma externa, in qua apparebant; hosce autem duos Angelos, qui Mariæ Magdalene in sepulchro apparent, Joannes Angelos appellat, quia tales Naturæ Angelicæ apparet, quia tales Naturæ erant, licet à Maria Magdalena pro talibus nondum agnoscerentur. Quæ autem formæ externa apparuerint, non exprimitur, procul dubio in forma virorum vel juvenum conspecti sunt, sicut & reliqui, quorum in Historia resurrectionis fit mentio. Duo apparent, quia aderant in testimonium Dominicæ resurrectionis, jam verò in ore duorum vel trium testium consistit omne verum. Apparent in vestitu albo, qui candor puritatem & integritatem Naturæ Angelicæ exprimit, sicut etiam electi in vita æterna coram throno Agni in vestibus albis conspiciuntur. Apoc. 4. v. 4. cap. 6. v. 11. cap. 7. v. 13. Idem color designat claritatem corporis, quam Christus post resurrectionem obtinet, sicut etiam in transfiguratione ejus vestimenta siebant alba, sicut nix, Matth. 17. v. 2. Marc. 9. v. 3. Luc. 9. v. 29. Quin etiam in hoc vestitus Angelici colore proponitur species illius gloriæ, quam Christus per resurrectionem suam nobis promeruit, quòd futuri simus ἰωάννης, immortalitatis stolâ candidissimâ induti & fulgentes sicut Sol in regno Dei, Matth. 13. v. 43. Beda lib. 4. in Marc. c. 46. Vestis candida designat cælestis splendorem & festivitatis nostræ gaudia. Denique apparent sedentes in sepulchro, atque eo quidem modo, ut unus ad caput, alter ad pedes sederet. πρὸς τὴν κεφαλὴν ἔτι πρὸς τοῖς ποσίν, ad caput & ad pedes, quia πρὸς cum Dativo significat prope, juxta, ad. Syrus habet: unum à cervicalibus, i. e. ab eo loco, ubi poni solent cervicalia, i. e. à capite, & unum à pedibus ejus. Angelus, qui de cælo descendens lapidem à sepulchro revolverat, itidem super eum sederat; Angelus, qui mulieribus denuò ad sepulchrum reversus Christi resurrectionem nunciaverat, à dextris in sepulchro sederat, hi duo Angeli, qui cum Maria Magdalena colloquuntur, itidem sedent in sepulchro, unus ad caput, alter verò ad pedes. Videmus igitur, quòd Angeli undique cingant Christi sepulchrum, & fidele suum ministerium Christo resurgenti exhibeant. Hieronymus ad Hedibiam quæst. 5. Angeli in sepulchro Christi

apparent, ut sub tanta custodia dignitate non crederet, ab hominibus potuisse furari (furto auferri) qui ministris Angelis servabatur. Sedere est pacati & tranquillitatis, denotatur igitur hæc fessio Angelorum, quòd per Christi passionem & resurrectionem omnia sunt pacificata, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt, Coloss. 1. vers. 20. In nativitate Christi Angeli versabantur in aere informa cælestis exercitus tanquam parati ad prælium, Luc. 2. v. 13. quia ipsorum Domino adhuc pugnandum erat contra Diabolum, mortem & infernum: sed hic sedent Angeli obtenta scilicet & reportatâ victoriâ ac devictis per Christi mortem & resurrectionem hostibus, inde Fulgentius serm. de dupl. nativ. pag. 619. diem nativitatis vocat diem visitationis, idem verò resurrectionis vocat diem redemptionis. Opus gratiæ (inquit) quâ nos unigenitus Deus salvos fecit, conceptus in utero caput, ipsumque opus gratiæ de sepulchro resuscitatus implevit. Conceptus in utero factus est particeps mortis nostræ; resurgens de sepulchro fecit nos particeps vitæ suæ. Glossa ord. allegoriam hoc loco textit. Duo Angeli sunt duo Testamenta, unum prius, aliud sequens; conjuncta autem sunt, quia pari sensu incarnatum, mortuum & resuscitatum Christum annunciant. Angelus ad caput est revelans divinitatis arcana, quia caput Christi Deus est. Angelus autem ad pedes est docens humanitatis ejus obsequia in redemptione nobis impensa. Gregor. homil. 25. in Evang. Quid est, quod in loco Dominici corporis duo Angeli videntur, unus ad caput, atque alius ad pedes sedens, nisi quia Latinâ lingua Angelus nunciatus dicitur, & ille ex passione suâ nunciandus erat, qui & Deus est ante secula & Homo in fine seculorum: quasi ad caput sedet Angelus, cum per Apostolum Johannem predicatur. In principio erat Verbum. Quasi ad pedes sedet Angelus, cum dicit: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Concinnius est si dicamus. Quemadmodum duo Cherubim erant super arcam propitiatorii Exod. 25. v. 18. ita hoc loco duos Angelos sedere in loco, in quo verum propitiatorium requieverat, Rom. 3. v. 25. Neque verò muti sedent hi Angeli, sicut ille, qui milites à sepulchro terribili suâ specie fugaverat, sed amicè & familiariter Mariam Magdalenam alloquuntur, γυναῖκα, τί κλαιεῖς; Mulier, quid ploras. Syrus emphaticè, Mulier quid stes tu? non ignorabant Angeli causam luctus, sed ideò colloquuntur, ut confessionem ejus eliciant, quo animo scilicet ad sepulchrum redierit. Respondet illa: Tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum, quasi dicat, Satis causæ mihi, propter quam lacrymis & gemitibus omnia compleam, veni huc, ut corpus Domini mei ungerem, sed illud nusquam comparet, translatum est aliò, neque constat mihi, ubi invenire debeam. Præ dolore & luctu non agnoscit Angelos adesse, nec recordatur prædictionum de resurrectione, sed repetit suam querelam de sublato Christi corpore. Magna hæc est fidei infirmitas, propter quam tamen non abjicitur à Christo, sed eâ nihil quicquam obstante Angelico colloquio, imò ipsius Christi manifestatione honoratur. Hieronymus ad Hedibiam quæst. 5. Error mulieris cum pietate sociatus est. Pietas in eo erat, quòd desiderabat eum, cujus majestatem noverat. Error in eo, quòd dicebat, Tulerunt Dominum &c. Observanda autem verborum empha-

phais, Christum, quem iudicabat adhuc esse mortuum, vocat *Dominum suum*, quæ est fidei & dilectionis particula, liquidem per fidem Christum & ipsius beneficia omnibus communia nobis appropriamus. Sic Thomas Johan. 20. v. 28. *Dominus meus & Deus meus.* Sic Paulus Galat. 2. v. 20. *Christus dilexit me, & dedit seipsum pro me.* Cum Maria Magdalena Apostolis de Christo loqueretur, in genere dicit; *Tulerunt Dominum*, quia & illi Christum agnoscebant Dominum, hic verò cum Angelis, quibus Christum ignotum fuisse putabat, de eo collocuta, suam appellat Dominum, quo ipso affectum suum erga Christum declarat & iustam luctus sui causam manifestat. At, ô Maria, si Dominum credis & Dominum tuum, quomodo arbitraris ab hominibus sublatum.

3. Sequitur ergò ipsius Christi manifestatio, in cuius descriptione hæc tria ponuntur, 1. quid Maria Magdalena de Christo senserit, nondum eum agnoscens, 2. quomodo in cognitionem ejus venerit, & 3. qualem concionem ex ipso audierit. *Cum hæc dixisset, videt Angelos in sepulchro præsentem Christo* (quem nondum agnoscebat) *assurgere & ex reverentia & subjectione sese inclinare.* Chrysostomus, hom. 85. in Joh. edit. Lat. *Ut sentio loquente Maria, cum Christus repente a tergo ipsius apparuisset, ad Domini conspectum obstupuerunt Angeli & vultu & motu & gestu se Dominum vidisse significarunt.* Idem statuit Athanasius quæst. 78. Maria igitur cogitat, quæ sit hujus genuflexionis causa, & conversa retrorsum, videt Jesum stantem, nec sciebat, quod esset Jesus. *ἐπιστήθεις τὸ ὄπισθεν, conversa est retrorsum, id est, respexit in tergum.* *ἐπιστήθεις* simpliciter usurpatum significat *sese convertere & retrorspiceret* Matth. 16. v. 23. Luc. 7. v. 9. & 44. c. 9. v. 55. & c. Cum verò quandoq; in hoc gestu sola facies, interdum verò totum corpus retrorsum convertatur, id eò ἐπιστήθεις addita, quòd conversa fuerit eis τὸ ὄπισθεν, videtur innuere, quòd toto corpore, non sola facie retrorsum sese converterit. Syr. habet verbum ܡܢܦܩܘܕ quom vis à facie deductum sit, tamen sæpius totius corporis conversionem significat. Gen. 18. 22. Luc. 12. 36. Quidam hanc conversionem animi anxietati tribuunt, solent enim mulieres perturbatæ animo fluctuante huc & illuc converti, sed prior sententia etiam Dn. Chemnitii probata majestatem Christi, magis declarat. *Ideo conversa est,* ait Gerson, *quia Angeli assurrexerunt præsentie Christi.* Veteres in hac Mariæ conversione mysterium quærunt, quòd per dubitationem suam quali tergum Christo obverterat, quem surrexisset non credebat: quòdque eos oporteat ad Deum se convertere, qui Christum desiderant videre & c. Maria igitur Magdalena retrorsum conversa videt à tergo aliquem sibi astantem, quem iudicat esse hortulanum, cum tamen ipsemet Dominus esset, quem tanto desiderio quærebat. *κηπηρός* significat *custodem hortorum* à *κηπή*, hortus, & *ρός*, inspector, custos, ab *ὄψαν*, videre; ut *κηπηρός* dicatur quali *κηπηρών*, horti curam habens. Syrus habet verbum ܡܢܦܩܘܕ hortulanus, à ܡܢܦܩܘܕ quod hortum septo cinctum & munitum significat. Summo mane in horto eum videbat, existimabat igitur nullum circa illa loca eo tempore occupari, nisi eum, qui eorum cultor esset atque custos. Quòd autem Angeli præsentem Christo

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Cont. pars quinta.

h. l. tacent, cum reverentia assurgunt, eumque adorant, id Majestatem Christi resuscitati denotat, quia *Pater cælestis Christum à mortuis suscitatum collocavit ad dextram suam in cælestibus supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro.* Eph. 1. v. 20. 21. *Et cum Pater cælestis introducit primogenitum suum in orbem terrarum, jubet ab Angelis eum adorari* Pl. 97. v. 8. Hebr. 1. v. 6. Quòd Maria Magdalena nondum illustrata Christi cognitione, ipsum putat esse hortulanum, duplicem potest habere sensum, vel quòd Christus in specie & forma hortulani ipsi apparuerit, vel quòd in propria quidem specie apparuerit, præmore verò ac lachrymis ipsum non agnoverit, oculis ejus divinâ insuper virtute detentis, ne primo statim intuitu agnosceret, quale quid discipulis in Emaus euntibus accidit. Luc. 24. v. 16. Hæc posterior sententia videtur verbis Evangelistæ magis congrua, dicitur enim Maria Magdalena *δοῦσα, ὅτι ὁ κηπηρός ἐστίν,* ergò non in suâ forma, sed in animo & oculis Mariæ Magdalenæ Christus erat hortulanus. Atque hæc sententia præbet salutarem doctrinam, quòd Christus talis videatur aspicientibus, qualia animorum conspicienda habent, hoc est, qualiter affecti sunt, qui ipsum vident, ut Brentius loquitur: Mariæ videbatur hortulanus, quia ipsa in horto erat, discipulis in Emaus abeuntibus videbatur peregrinus, quia ipsi peregrinabantur, caveamus verò, ne affectus nostri aliam quandam formam Christo affingant, quàm qualis revera est. In verbo Evangelii amicam & fraternam suam faciem nobis hoc modo depinxit, quòd cordibus contritis & convertis non sit severus ac terribilis iudex, sed amantissimus frater, benevolens & adiutor, suavissimus Salvator & c. hanc amicam Christi faciem tentationum nubes sæpius nobis abscondunt, ut alienam formam ei tribuamus. Utq; hoc loco Mariæ Magdalenæ proximus astantem, cum sollicitè & cum lachrymis eum quæreret, quem amissum iudicabat; ita in cruce nobis astat, sed non agnoscimus eum, *prospicit per fenestras*, Cant. 2. 9. ipse ne quidem probè agnoscit, sed nos eum non videmus nec agnoscimus, pergamus autem ipsum quærere, & sancto cordis desiderio ei adherere, & inveniemus eum. Cant. 3. v. 4. sicut Maria Magdalena tandem invenit & agnovit. Prior sententia, quòd Christus in forma hortulani reverà assumta, Mariæ Magdalenæ hoc loco appareat, quibusdam magis probatur, ex qua texunt allegoriam, quòd CHRISTUS sit cælestis ille hortulanus, qui morte & resurrectione suâ iterum reparavit, quòd Adamus primævus horti Paradisiaci custos amisit. Item, quòd semina virtutum mentibus nostris inserat, ac Spiritus sui influentiâ nos vegetet, ut velut arbores frugiferæ in horto Domini vigeamus, crescamus & fructus feramus Psalm. 1. v. 3. Psalm. 92. v. 14. utque anima nostra sit instar horti irrigui. Jerem. 31. v. 12. quòd spinas ignorantia & infidelitatis ex cordibus nostris evellat quòd animam sibi dilectam custodiat; ne Dæmones irrepant & fructus bonæ conscientia suffurentur: sicut hortulanus magnâ diligentia custodit hortum, ne fures ingrediantur. Sed hæc sententia de variis formis Christi videri posset errori Manichæorum quodammodo patrocinari, qui

qui statuebant, Christum non habuisse verum corpus humanum, sed phantasticum & imaginarium: ita quoque hæc sententia statuit, Christum formam suam sepius mutasse, & modò hortulani, modò viatoris habitu & formâ comparere. Hieronymus ad Hedibiam quæst. 5. *Nesciebat, quia Iesus erat. Non quòd juxta Manicheum & alios hereticos formam Dominus vultumque mutasset, ut pro voluntate diversus ac varius videretur: Sed quòd Maria stupescit a miraculo hortulanum putaret, quem tanto studio requirebat.* Doctrina illa, quòd Christus sit cœlestis hortulanus, nihilominus eò referri potest, quòd Christus in horto passionem suam auspicietur, in horto sepeliatur, & resurgat, in horto sese primùm post resurrectionem manifestet, atque hoc modo sese verum ac cœlestem hortulanum præstet. Judicamus igitur, Christum in forma nota quidem Mariæ apparuisse, sed non fuisse primo intuitu & primam compellationem ab ipsa agnitus. *Mulier, ait, quid ploras?* quasi dicat, noli plorare, non habes causam flendi & lugendi, sed potius propter resurrectionem meam gaudendi. Hac interrogatione Angeli jam antè fuerant usi, Christus hic aliam addit, *quem quæris?* q. d. frustra quæris eum inter mortuos, qui surrexit redivivus; frustra quæris eum absentem, qui præsens tibi assistit. Interrogat autem Christus non quasi nescius & ignorans, sed ut aliorum ignorantiam in lucem producat, similia exempla habentur Matt. 16. v. 13. Marc. 6. v. 38. Joh. II. v. 34. &c. Porro cum hæc sit prima vox Christi ex mortuis resuscitati, idem imis sensibus atque animis reponenda est. Significat enim resurrectionem suam omnes lachrymas ab oculis nostris abstergere. *Quid ploras?* inquit, ego resurrexi, non audiat vox fletus, cum parata sit æterna lætitiæ materia. Maria Magdalena putat ipsum esse hortulanum, qui transportando corpus, quod quærebat, tristitiæ & lachrymarum causam ipsi dederit, sed Christus hoc verbo veram suam faciem depingit, seque nostrum consolatorem & Salvatorem ostendit. Et nos ex ore Christi hoc verbum repetentes ad contrita corda dicamus. *Quid ploras, quid luges?* Christus resurrexit. Respondet Magdalena ex abrupto, *Domine, si tu suscipisti eum, dicit mihi, ubi eum posueris, & ego tollam eum.* *Basileus* significat portare, bajulare, hoc igitur vult dicere. Si tu in alium locum honoratiorem deportasti corpus Christi, dic mihi, non enim possum animo conquirescere, antequam cognovero, ubi sit repositum. August. ferm. 133, de temp. (qui inter Ambrosii sermones est 57.) observat, Mariam Magdalenam insciam à Christo Christum requisivisse ac devotione mentis prophetasse. *Recte* (inquit) *interrogat, Si tu tulisti eum. Ipse enim tulit corpus suum, qui illud jacens & dormiens suâ aspiratione collegit. Ipse tulit corpus suum, qui divinitatis illud virtute gestans portat ad caelos, atque idèo mulier sapienter interrogat & requirit. Si tu tulisti, hoc est, si illud auferens de sepulchro ad Paradisum transtulisti. Vide autem amoris affectum in his verbis: 1. vocat Dominum, qui honoris titulus non conveniebat tam vili officio. 2. loquitur in generali, si tu suscipisti eum, non addit determinatè, si tu suscipisti Jesum Nazarenum crucifixum, est enim mos ferventer amantium, estimare, quòd omnes cogitent de eo, quòd cordi habent, ait Lyra. 3. arbitratu hortulanum circuire, ut tollat & suf-*

furetur corpora mortuorum. 4. putat hortulanum si suscipisset ad unicum mulieris, quam non noverrat, verbum redditurum. 5. pollicetur, quòd velit eum *aiq̄*, humeris suis imponere & in pristinum sepulchrum deportare, cum tamen corpus viri in perfecta ætate mortui ac centum libris unguenti involuti ponderosius sit, quàm ut à femina portari possit, cumque à tangendis mortuorum corporibus sexus fœmineus Natura adhorreat. 6. sine loci alicujus exceptione dicit, se paratam eum tollere quovis loco, etiam si vitæ discrimen subeundum esset, quòd notavit Origenes. Ita nimirum verus amor nihil sibi judicat impossibile. Bernhard. ferm. in fest. Mar. Magd. col. 190. *Quem eum Maria? cum de nullo feceris mentionem, ad quem relationem facias; putasne, quòd in omnibus cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut est in consistorio cordis tui? & tollam eum? hominem perfectæ ætatis, virum cujus corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum, tolles mulier tenerrima & portabis? ardens & affectiva locutio, que de puritatis amore refusa promittit, quòd implere non potest, nihil enim amanti difficile esse videtur.* Luth. in hom. super h. l. tom 5. Jen. German. f. 334. *Cor ipsius ita impletum est Christo (cogitationibus de Christo) ut præter eum nihil audiat, vel videat, sola astat sepulchro, non terretur Angelorum conspectu, ex abrupto Christum alloquitur, quem hortulanum esse putat, si tu suscipisti eum, parata est eum reportare in sepulchrum.* Ita nimirum comparatum debet esse cor verè Christiani hominis, ut se nihil quicquam scire astitimet præter Christum crucifixum ac resuscitatum. 1. Cor. 2. v. 2. 2. Tim. 2. v. 8. Ubi tale cor est, ibi erunt sancti Angeli, imò aderit Christus ipse, ut in hac Historia conspicitur. Orig. homil. 10. in diversos tom. 2. pag. 454. postquam affectum amoris in Maria Magdalena verbis suavissimis latè expofuerat, tandem ab hypothese ad thesin descendens concludit: *Sequamur hujus mulieris affectum, ut veniamus ad effectum. Discite homo peccator plorare Dei absentiam & desiderare ejus presentiam. Discite à Maria Jesum amare & in Jesum sperare, & quærendo Jesum in vestigare, nulla adversa formidare, nullam consolationem extra Jesum accipere, omnia propter Jesum contemneret. Discite à Maria quæere Jesum in monumento cordis tui. Revolve lapidem ab ostio monumenti Dei, amove omnem duritiam & repelle omne obstaculum à fide tua. Tolle omnem concupiscentiam mundi à corde tuo, & diligenter perscrutare, si sit Jesus in eo. Si autem non invenis in eo Jesum, sta foris & plora, permans in fide & respice foris ad alios, si forte in aliquo videris eum; & plorando ora Jesum, ut dignetur intrare ad te & inhabitet in te: & ne forte erectâ cervicè repellas eum à te, humiliando inclina te, & iterum respice in monumentum Dei, quòd est in te, & si videris ibi Angelos, unum ad caput, & unum ad pedes, h. e. si cognoveris in corde tuo, quasi cœlestia desideria, tam ad activam quàm ad contemplativam pertinentia, per que tamen adhuc non possis videre & habere Jesum, noli his contentus esse, noli adhuc deficiendo quiescere, sed plora & quære Jesum in te, donec invenias, Et si forte aliquando tibi apparuerit, & desiderio tuo se representaverit, noli à te præsumere, tanquam tu eum cognoscas, sed interroga tu illum & ora, ut indicet tibi seipsum. Audes tibi confidenter promittere, si in fide ad monumentum cordis tui steteris, si plorando Jesum*

qua

quaeseris, & quarendo perseveraveris, si te cum humilitate inclinaveris, sicut exemplo Mariae nullam consolationem de Iesu, nisi Iesum, recipere volueris, ipso revelante ipsum invenies & ipsum cognosces, ita ut non sit necesse ab aliis quaerere, ubi sit Iesus, sed tu magis indicabis eum nunciando aliis. Quia vidi Dominum &c. Porro quod Maria eum, quem putat esse Hortulanum, vocat Dominum, & id civilitatis argumentum est, quâ benevolentiam sibi parat, ut corpus Christi ab eo impetrare possit; sed singulari Dei providentiâ factum, ut compelleret eum Dominum, cui post resurrectionem cali ac terrae dominium à Patre datum. Matth. 28. v. 12. Vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sicut enim inquit Johan. 13. v. 13. August. tract. 121. in Johan. Appellabat Dominum, cujus ancilla non erat, ut per eam perveniret ad eum cujus ancilla erat. Aliter ergo Dominum dixit, sustulerunt Dominum meum: aliter autem Domine, si tu sustulisti eum. Nam & Prophetæ appellaverunt dominos eos, qui homines erant, sed aliter illum, de quo scriptum est: Dominus nomen ei. Atque hæc utrinque dicta, cum Maria nondum agnosceret Christum, sequitur igitur. 2. ipsa ἀναγνώσκεις, Christi presentis agnitione. Christus enim voce notâ ipsam loquitur, dicens, Maria, q. d. adeone tibi sum ignotus, ut nec presentem videas, cur inter mortuos me adhuc quaeris? Ambros. lib. 3. de virg. mysterium quaerit in eo, quod prius dicta fuerit mulier, hic vero Maria. Quando non credit inquit, hoc est, nomen ejus accipit, quæ Christum parit. Est enim anima, quæ spiritualiter Christum parit. Respice, inquit, ad me; qui Christum respicit, emendatur. Erat autem quæ Christum non videt &c. Sed utiliùs observatur, quod Christus voce suâ sive verbo Mariæ Magdalena sefe aperiat. In verbo adhuc sefe nobis revelat, in verbo à nobis agnoscutur. Ut enim Pater cœlestis ad Filium, qui est ὁ λόγος ὁ υἱος πατρὸς, nos remittit, ut eum audiamus Matth. 17. v. 5. ita Filius vicissim nos remittit ad Scripturam, quæ est λόγος παρὰ τοῦ πατρὸς, Joh. 5. 39. Ergo quoties in tentationibus & calamitatibus Christus vel amissus vel in aliena specie nobis adesse videtur, externæ speciei & sensum nostrorum judicio valedicere debemus ac verbum amplecti, in quo velut in speculo lucidissimo genuina Christi facies apparet. Sic Maria hoc loco ex voce eum agnoscut, quem ex forma externa affectibus præpedita agnoscere non poterat, ideò cum gaudio & exultatione cordis respondet. Rabboni, quod Evangelista sic interpretatur, quasi dictum sit διδάσκαλε, Magister ac Præceptor רב & Chald. רבן dicitur multus & excellens in aliqua arte, h. e. Magister, vel Doctor, à רבב multiplicatus, auctus fuit, inde רבן quod Rabinis est nomen dignitatis, dicitur enim apud eos Rabbi, qui per impositionem manuum sapiens est declaratus. Joh. 1. v. 39. duo discipuli Johannis dicunt ad Christum ראשׁי, quod Evangelista interpretatur διδάσκαλε. Porro רבן Syriacum est & juxta quosdam אבוגאבא significat, quod tamen Drusus lib. 2. præterit. pag. 71. improbat, cum in Thargum pro quovis Domino usurpetur. Hebræi in Commentariis & Misna scribunt רבן quæ enim Hebraicè initio habent i, ea Syriacè cum a pronunciantur; ut Hebr. Miriam, Syr. Mariam. Ergo Maria Magdalena Syriacè Christum,

Harv. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta,

qui resurrexerat, salutavit Rabboni, ex quo Græci fecerunt ראשׁי, h. e. mi Domine, Deum scilicet agnoscens; antea eum vocabat Rabbi, h. e. Magistrum. Hæc Angelus Caninius in disquis. loc. N. T. ubi ex Thalmudistis addit hanc observationem:

גורל מרברבי וגורל מרבו רבן וגורל מרבו שמו
Major dignitas est, si quis appelletur Rabbi, quam si appelletur Rab, rursus major dignitas est, si quis appelletur Rabban, quam si appelletur Rabbi. Idem tradit Salmanticensis Judæus in Juchasin. Juxta hanc hypothesein Meria Christo majorem exhibuisset honorem Rabboni eum appellando, quàm si simpliciter eum vocasset Rabbi, sicut & Thomas Christum resuscitatum intuitus Dominum ac Deum suum ipsum proficitur & agnoscut. Sed cum Evangelista & Rabbi & Rabbuni interpretetur per διδάσκαλον Joh. 1. v. 39. cap. 20. v. 16. cumque cœcus etiam ante resurrectionem Christum appellet Rabboni Marc. 10. v. 51. ideò non potest singularis quædam emphasis in hac voce constitui, sed consueta appellatione Magistrum suum appellavit, à cujus ore ante passionem & resurrectionem ipsius studiose pependerat. Syrus interpres sic vertit. Et dixit ei Hebraicè רבולי Rabbuli, quod dictum est מלפניו Præceptor, Doctor à rad. ילך instituit, instruxit. In voce Rabbuli vel litera ל posita est pro נ ut dicendum sit Rabboni, vel est compositio nominis cum pronomine, ut Rabbuli dictum sit pro Rabbonli. Quare verò Evangelista dicit, Rabbuli esse nomen Hebraicum, eum sit Syriacum? Resp. dicitur Hebræum vocabulum, quod tunc temporis Syriaca lingua Hebræis esset vulgaris, genuinæ enim linguæ Hebrææ usum in captivitate amiserant ac victorum vicinarumque regionum idioma (quod vel Chaldaicum erat vel Syrum) didicerant. Vide Tremell. in notis margin. Bibl. Syr. adh. l. Cæterum quod Maria Christum ex verbo agnoscens sine mora eum Dominum suum salutavit, id cohortationi nobis esse debet, ut quoties Christus nos alloquitur & ad se inviat, sine mora ei respondeamus Hebr. 3. v. 7. & 8. Quod Maria non agnoscut Christum, antequam ab ipso prius compelleretur, ex eo apparet, hanc unicam esse viam ad Christi cognitionem, si nos ipse prior agnoscut & verbo Evangelii familiariter ad se invitet, unde cum Paulus in Galatis hoc prædicasset, quod Deum cognovissent, ἐπ' αὐτοῦ ὡς θεοῦ quasi loco subjicit, μὰ τὸν θεὸν οὐ γινώσκοντες ἐστὶν θεὸς, imo vero cogniti estis à Deo Galat. 4. v. 9.

Cum ergo Maria Magdalena Christum Magistrum suum salutasset, prociat ante eum, amplexatur pedes ejus, ac tam arctè eum tenere cogitat, ne ullus sit in posterum ejus amittendi metus, sed Christus hoc prohibet, atq; aliud mandatum ipsi dat, quod scilicet ad discipulos resurrectionis nuncium perferre debeat. Ne me tangas, inquit, nondum enim ascendi ad Patrem meum: Sed vade ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum: & Deum meum & Deum vestrum. Hæc est prima concio Christi, quam post resurrectionem suam habuit, in qua prohibet Mariæ Magdalena, ne se tangat, præcipit autem, ut ad discipulos protinus recurrens afferat illis latissimum de resurrectione & ascensione sua nuncium. Quia verò Christus non solum permittit postea à reliquis mulieribus, quibus apparet, sefe tangi; sed etiam præcipit discipulis

L I 4

& teor-



& seorsim Thomæ, ut se tangant & contrectent, inde mirum alicui videatur, cur hoc loco à Mariamagdalena tangi nolit? Augustinus confugit ad allegoriam, quod scilicet Maria significet Ecclesiam ex gentibus collectam, quæ non credidit in Christum nisi post ascensionem, in cuius rei significationem hoc loco Mariæ dictum sit, *noli me tangere, ascendo enim ad Patrem meum*. Hieronymus in questionibus ad Hedibiam q. 5. sic explicat. *Quia querebat viventem cum mortuis, & corpus querebat adhuc occisi, idè illi dictum, ne me tangas, q. d. quem mortuum quæris, viventem tangere non mereris. Si me nondum putas ascendisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatum, indigna es meo tactu*. Simplissima interpretatio defumitur ex textu hoc modo. Mulieres & discipuli, quibus Christus apparebat, de resurrectione adhuc dubitabant, ideo ad confirmandam ejus fidem ac veritatem Christus se ab eis tangi non solum sinit, sed & præcipit. Maria Magdalena de resurrectionis veritate erat certa, sed hærebat in vulgato illo errore, quòd Christus post resurrectionem suam regnum terrenum auspicaturus ac modo priore discipulis suis cohabitaturus sit, hoc igitur animo & hac intentione Christus à Maria tangi noluit, idè dicit, *noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum*, q. d. non est quòd in externis amplexibus hæreas, ac terrenam quandam conversationem in posterum expectandam somnies, futurum enim est post dies quadraginta, ut ascendam ad Patrem meum, ubi non terrenum, sed cœlesti regnum auspicabor, cœlestia bona tibi & omnibus in me credentibus distributurus; hæc ascensio, quæ est consequens resurrectionis meæ, nondum est in propinquo, sed per dies quadraginta vobiscum conversabor & de qualitate regni mei, antequam ad Patrem ascendam, vos prius edocebo, jam verò magis necessarium est, ut protinus ad fratres meos, hoc est, ad discipulos, abeas, ac lætissimum de resurrectione mea nuncium illis afferas, ut ex luctu suo liberati ad lætitiæ aspirent. Hoc terè sensu Christi verba interpretatur Justinus, vel quicumque alius libri autor in qq. & resp. ad orthod. q. 48. pag. 327. *Noli me tangere* (inquit) *à Salvatore ad Mariam dictum est eo sensu, quo dicitur, noli me comitari, ut continue mecum sis, juxta eam, quæ mihi fuit ante crucem vivendi consuetudinem. Voluit namque sensim discipulos desuescere à corporis sui conspectu & presentia, quapropter etiam non semper visus est ab eis diebus his, quibus post resurrectionem in terris est versatus*. Hæc ille. Bugenhagius sic respondet: Christus salutariter tangitur per fidem Luc. 8. vers. 45. cum plurima turba Christum tangeret & comprimeret, sola tamen hæmorrhousa fidei contactu sanitatem ab eo impetrabat. Ergo quòd Christus se prohibet à Maria tangi, fit idè, quia nondum credebatur Christum esse glorificatum, sed priori conversatione etiam in posterum adhuc usurum. Sic igitur non tam externum Mariæ contactum, quam animi propositum repellit, non tam ipsum tangendi actum, quam consilium & intentionem ejus rejicit, tangebatur ac detinere cupiebat Christum tanquam non amplius sibi appariturum, Christus autem respondet, *noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, hoc est, futurum, ut per dies quadraginta aliquoties me videndum & tangendum exhibeam, idè non est, quòd hoc tempore de me tan-

gendo & detinendo tantopere sis sollicita, vade autem ad discipulos, qui in luctu & squalore jacent atque affer illis resurrectionis meæ nuncium. Hanc interpretationem confirmat ipsa phrasis; ἀπτε- & αἰ enim non solum significat tangere, sed etiam innecti, innodari, vinciri, sich anheugen und einflechten. 1. Johan. 5. vers. 18. ὁ πονηρὸς μὴ ἀπτεται αὐτῷ ἰμprobus non confociatur ei. 2. Corinth. 6. vers. 17. ἰmundum ne tetigeritis, hoc est, ne confociemini imundis & peccatoribus. LXX. utuntur pro ἰμ fortiter apprehendit, ac detinuit Ezech. 41. vers. 6. Eccl. 9. vers. 12. Item pro ἀπτεται adhaere, conglutinat est, 2. Paral. 3. vers. 11. Job. 31. vers. 7. quod alibi reddunt ἀεσσοῦσθαι. Sensus igitur est, quòd Christus prohibet se hoc animo & affectu tangi & tam arctè detineri, cum nondum ascenderit ad Patrem suum. Atquis ante ascensionem non debebat tangere, num post ascensionem tactura erat? Resp. Quemadmodum Philosophi duplicem statunt contactum essentia ac virtutis, ita quoque duplex est contactus Christi, corporalis & spiritalis, ille fit manibus, hic verò fide. Priori modo non tetigit Maria Christum post ascensionem, sed posteriori, scilicet contactu Spiritus & fidei; de hoc posteriori contactu, sine quo prior nihil prodesset, dicit Augustinus, *mitte manum fidei & tenuisti*, sic enim scribit tract. 26. in Johannem: *Noli me tangere quid est? hoc me solum esse putas, quod tibi appareo. Noli me sic credere, hoc est, noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum; tibi nondum ascendi, nam inde nunquam recessi. In terra non tangebatur stantem & quomodo tangeret ad Patrem ascendentem? sic tamen sic se tangi voluit, sic tangitur ab eis, à quibus bene tangitur, ascendens ad Patrem, manens cum Patre, aequalis Patri*. Fulgentius lib. 2. ad Trasym cap. 13. *Nec Evangelistarum discrepat intellectus, nec Christus aut inaniter se tangi, nondum ascendens ad Patrem prohibuit, aut incassum sibi pedes teneri permisit. In uno enim demonstravit veritatem carnis, in altero insinuat gloriam Deitatis. Illis permissi manum, hic amovit intellectum, ut in homine Christo resuscitata carnis tangeretur veritas, & in eodem Deo Christo paterna divinitatis crederetur aequalitas*. Post prohibitionem contactus subjungit Christus *πάραγγελμα* per particulam adversativam prohibitioni oppositum: *Noli me tangere, sed vade ad fratres meos, & dic eis &c.* q. d. tota es in externo meo complexu & contactu, sed imponam tibi partes cujusdam muneris magis hoc tempore necessarii. *Abi, dic fratribus meis*: sic ergo Maria Magdalena fit Apostolorum Apostola, mittitur enim ad Apostolos, ut resurrectionis nuncium ipsis afferat. Quòd Mariæ Magdalene has partes tradit, nequaquam probat, ordinarium munus docendi in Ecclesia commendandum esse mulieribus, quòd olim à Pepuzianis factitatum refert August. de hæres. ad Quodvult d. hæres. 27. id enim pugnat contra regulam Apostolicam 1. Cor. 14. vers. 34. 1. Timoth. 2. vers. 12. sed fuit hoc extraordinarium quiddam, cujus rationes Christo optimè constiterunt. Maria Magdalena, discipulis præ metu Judæorum domo egredi non ausis, ad sepulchrum abierat ut engendi corporis Dominici causa: eadem quoq; circa sepulchrum manserat, cum Petrus & Johannes citissime in urbem regrederentur ac discedendo testarentur, se, de resurrectione Christi

Christi quod sperent, non habere, merito igitur illi hic honor à Christo habetur, ut Apostolorum magistra constituatur, iisdemque resurrectionis nuncium afferat. Præterea hæc Maria falsum rumorem de sublato Christi corpore apud discipulos sparserat, æquum igitur erat, ut resurrectionis veritatem iisdem nunciaret, cujus idonea testis erat, cum & ipsa prius resurrectionem non crederat. Considerandum autem cum primis hoc loco, quod Christus discipulos suos appellet *fratres*. Cum ad docendum eos ablegaret, vocavit *Apostolos* Luc. 6. v. 13. Cum in valedictoria sua concione eos amantissimè consolaretur, vocat *amicos*. Joh. 15. v. 15. *Jam non dicam vos seruos, sed amicos meos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: hic iterum arctioris conjunctionis & propensioris affectus appellatione utitur, dum *fratres* eos vocat, causam addit ipse, *ascendo enim ad Patrem meum, & Patrem vestrum*; quia communem habemus Patrem, ideo etiam sumus *fratres*. Vocat *fratres*, (ait Severianus) quos corporis sui fecit esse *germanos*: vocat *fratres*, quos Patri suo adoptavit in filios: vocat *fratres*, quos sibi præstitit *coheredes*: vocat *fratres* propter specialitatem amicitie, quam habuit ad ipsos. Fratrum nomen accipitur in Scripturis 1. pro natis ex iisdem Parentibus. 2. pro cognatis & consanguineis, præsertim consobrinis ex duobus fratribus vel fororibus. 3. pro ejusdem religionis sociis. 4. pro natis ex una stirpe & gente. 5. pro illis qui jure Naturæ fratres habendi sunt, vel quacunque societate & vinculo sunt conjuncti. 1. Reg. 20. v. 32. significat carissimum amicum. Quod ergo Christus hoc jubet fratribus suis nunciare, id quidam de cognatis Christi secundum carnem accipiunt, sicut Matth. 12. v. 46. Marc. 3. v. 31. &c. istorum fratrum fit mentio. Et sanè inter Apostolos fuerunt tales cognati Christi, utpote Jacobus & Johannes &c. sed non ad hosce solos, verum in genere ad omnes Apostolos Maria Magdalena ablegatur, ut intelligitur ex v. 18. seq. *Maria nunciavit isthac discipulis*. Ergo fratrum nomine spiritualem cognationem exprimit, & omnes discipulos vocat *fratres*, quia per passionem & mortem suam eos Deo reconciliaverat, ut jam essent dilecti Dei filii, ac proinde etiam *fratres* Christi, cœlestis benedictionis in ipso consortes, unde Rom. 8. v. 29. & Coloss. 1. v. 18. de Christo dicitur, quod in resurrectione factus sit *primogenitus ex mortuis inter multos fratres*. Et Hebr. 2. v. 11. prædicatur immensum hoc beneficium, quod non erubescat eos *fratres* vocare. Quod si solos cognatos fratrum appellatione Christus hoc loco honoraret, periret reliquis Apostolis & nobis omnibus suavissima illa consolatio, quæ in hac appellatione reposita. Et Christus ipse hanc opinionem de prærogativa cognatorum secundum carnem manifestè repudiat Matth. 12. v. 49. Marc. 3. v. 33. Luc. 8. v. 21. Desumpta est autem hæc appellatio fratrum ex Psal. 22. v. 23. ubi in persona Messie crucifixi & ex mortuis resuscitati dicitur: *narrabo nomen tuum fratribus meis &c.* ad hoc vaticinium istac appellatione discipulos revocare Christus voluit, ut ea quæ in passione, morte & resurrectione contigerant, jam olim à sanctissimo Prophetâ Regio prædicta intellexerent. Discipuli vitam in carne adhuc agebant & infirmitatibus carnis circumdati erant; Christus per resurrectionem ingressus erat in suam gloriam,

nihil tamen minus fratres suos illos vocat. Turpiter Magistrum suum deseruerant, ut nec discipulorum nomine digni viderentur, sed ipse vocat eos fratres, quæ certè est summa bonitas & *Φιλανθρωπία*. Quid verò Maria Magdalena discipulis nunciare debebat? Christus ipsa verba in os ejus ponit, dicens, *Vade ad fratres meos, & dic eis: ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum*. Quidam de ipsa resurrectione Christi hæc verba accipiunt, ac proinde duplicem ascensionem statuunt: unam invisibilem, quæ Christus statim ut resurrexit, simul ad Patrem ascendit, de qua accipiunt, quod hoc loco Christus dicit, *se ascendere ad Patrem*, & quod Luc. 24. v. 26. dicit, *se per passionem intrasse in gloriam*: alteram verò visibilem, quæ die post resurrectionem quadagesimo demum visibiliter ex monte oliveti ad cœlos ascendit, & ad dextram Patris sui confedit. Et sanè de resurrectione Christi dicitur Mich. 2. v. 13. *ascendit per uerticem ante eos*, ubi in Hebræo est *אֲנִי* in Græco *ἀναβὰς*. Sed cum ascendere in cœlum & ad Patrem ascendere ubique de visibili Christi ascensione, cujus immediatum consequens fuit sessio ad dextram Patris, in Nov. Test. usurpetur, ut constat ex Johan. 3. v. 13. cap. 6. v. 62. Act. 2. v. 34. Ephes. 4. v. 10. præsertim verò cum hoc ipso in loco Christus dicat, *se nondum ascendisse ad Patrem suum*, ideo hæc verba Christi de visibili ejusdem in cœlos ascensione accipimus, quam Christus vocat ascensionem ad Patrem, non quod à Patre antea se junctus fuerit, ut multorum miliarium itinere indigeret, antequam ad Patrem veniret, sed quia ascensionem ad cœlos immediatè secuta est sessio ad dextram Patris cœlestis. Marc. 16. v. 19. *Dominus Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei*, unde in Symbolo Apostolico hæc conjunguntur: *ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris*. Sed quid causæ, quod Christus de ascensione potius quam de resurrectione discipulis suis concionari voluit? videbantur enim prius de resurrectionis veritate confirmandi, antequam de ascensione aliquid audirent? Resp. ex variis concionibus Christi, quas ante passionem & mortem ad illos habuerat, resurrectionem didicerant, vel certè dicere debuerant, sed ob præconceptum somnium de terreno quodam Messie regno hæc omnia ita accipiebant, quod Christus ad mundanum quoddam regimen inchoandum sit resurrecturus, unde ipso ascensionis die adhuc quarunt, *an in tempore hoc regnum Israel sit restitutum* Act. 1. v. 6. huic inveterato errori ut obviam iret, ad considerationem ascensionis suæ eos revocat, ne scilicet ex resurrectionis nuncio spem terreni regni denuò conciperent, sed ad cœlestia bona ab illo speranda animos erigerent. Maria hoc loco amplectitur pedes Christi & cogitat, quod in hac vita distribuat beneficia, sed Christus ei respondet, mitte has cogitationes, noli existimare, me in hac vita ea distribuere, sic enim facillè eammitteretis, sicut Adamo contigit, igitur transferam ea mecum in cœlum & deponam vobis apud Patrem cœlestem, ibi nemo ea vobis eripiet, interim hanc consolationem fide apprehendendam in verbo vobis proponam. Neque verò simpliciter dicit Christus, ascendo ad Patrem meum, sicut in concione valedictoria sæpius hoc repetit, *Vado ad eum, qui misit me*, Joh. 16. v. 5. vado ad Patrem, v. 10. 16. 28. sed

fed hoc loco addit : *ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum, q.d. Passione, morte & resurrectione mea discipulis meis & omnibus verè credentibus hoc impetravi, ut Pater meus, ad quem ascendo, sit etiam ipsorum Pater, ac Deus meus, qui me amat, complectitur ac tuetur, sit etiam ipsorum Deus. Pater meus est Naturâ, ipsorum verò Pater est ex gratia : Pater meus est generatione, ipsorum verò adoptione. Id ipsum etiam denotat phrasis illa, ascendo ad Deum meum & Deum vestrum, Deum enim esse alicujus Deum includit Dei gratiam, specialem præsentiam & dilectionem, Spiritus S. donationem &c. ut colligitur ex Levit. 26. v. 12. Jer. 31. v. 33. Matth. 22. vers. 32. 2. Cor. 6. v. 18. Ideo autem nomen Patris nomini Dei jungitur, ut doceamur, illum solum esse verum Deum, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, & in Christo paterno amore nos complectitur Joh. 14. v. 10. x. Joh. 5. v. 20. Eodem modo verba illa Christi interpretatur Epiph. in disput. contr. Arian. hæref. 60. Θεὸν μὲν εἶπε καὶ Θεὸν ὑμῶν καὶ πατέρα μὲν καὶ πατέρα ὑμῶν, πατέρα μὲν καὶ φύσιν ἐν τῇ θεότητι καὶ πατέρα ὑμῶν λέγει χάριν ἐν τῇ υἰοθεσίᾳ, θεὸν μὲν ὅτι ὁ ὑμῶν σαρκικὸν εἰληφα καὶ Θεὸν ὑμῶν καὶ φύσιν καὶ ἀληθείαν, Deum meum dixit, & Deum vestrum, & Patrem meum & Patrem vestrum. Patrem quidem meum secundum Naturam in Deitate, & Patrem vestrum propter gratiam in adoptione filiorum: Deum meum, quia carnem vestram assumsi & Deum vestrum secundum Naturam atq; veritatem. August. tract. 121. in Joh. Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum aliter vestrum; Naturâ meum, gratiâ vestrum: Neque dixit Deum nostrum, ergo & hic aliter meum, aliter vestrum. Deum meum, sub quo & ego homo sum, Deum vestrum inter quos & ipsum Mediator sum. Cyrill. lib. 1. thesaur. c. 6. Dignitatem, quam ipse Filius habet Naturâ, ut videl. Deus Pater suus naturaliter sit, etiam nobis ex misericordia largiens addidit: Et Patrem vestrum. Adoptati enim sumus per ipsum, ita Pater ejus per Naturam, Pater noster per gratiam est. Nostra verò in seipsum assumens, & qua servorum sunt (quia formam servi accepit) sibi accommodans addidit: Et Deum meum &c. quam explicationem confirmat ipsa phrasis. Christus enim non dicit, ascendo ad Deum & Patrem nostrum, sed ad Deum meum & Deum vestrum &c. ut ostendat aliquam inter se & Apostolos quoad Deum esse differentiam &c. Vide. Ambr. lib. 1. de fide cap. 6. Ambr. lib. 10. in Luc. Meum, vestrum, benè distinxit, non enim communis nobis Natura cum Christo, nisi conditionis humane. Illi Pater generatione propria, nobis adoptione voluntariâ. Illi per Naturam, nobis per gratiam, Illi Deus unitate mysterii, nobis potestate cœlesti.*

Atque hæc est suavissima Christi concio in primâ post resurrectionem manifestatione habita, in qua triplicem resurrectionis suæ fructum exprimit: Primus fructus est *hostium triumphatio*: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum*, q.d. surrexi victor & cum gloria ascendam ad Patrem meum, quia perfecti opus redemptionis & omnes hostes potenter vici. Est enim Christi resurrectio evidens & infallibile testimonium victoriæ, quam Christus ex suis & generis humani hostibus reportavit. Nisi Satanam, mortem & infernum vicisset, non redisset ex pugna, sed in sepulchri carcere à morte, & in inferno à Diabolo detentus

fuisse, quia verò cum gloria & majestate resurgit, inde constat, quòd Diabolum vicerit, mortem absorpsit & infernum destruxerit. Ose. 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 54. Eph. 4. v. 8. Col. 2. v. 15. *Non est difficile videre Diabolum victum, quoniam qui ab illo occisus est, resurrexit*, inquit Aug. lib. 13. de Trin. c. 15. Huc respicit Christus, quando in hac prima post resurrectionem concione dicit: *Ascendo ad Patrem meum*, & revocat nos ad vaticinia V. T. Pl. 47. v. 6. & Pl. 68. v. 19. Ac pertinet huc locus Esa. 59. v. 17. *indutus est Dominus justitiâ ut lorica, & galea salutis in capite ejus*. v. 18. *Sicut advindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis &c.* Signum illius victoriæ, quam Christus in resurrectione ab hostibus reportavit, sunt terræ motus & vestes candidæ Angelorum.

Secundus resurrectionis fructus est *Dei reconciliatio*, *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum & Patrem vestrum*, h. e. passione & morte mea reconciliavi vos Deo, ut non amplius sit vobis iratus judex, sed benignissimus Pater, inde Rom. 4. v. 25. *Christus propter justificationem nostram resurrexisset dicitur*, quia resurrectio est evidens testimonium, quòd omnia perfecit, quæ ad nostram coram Deo justificationem requiruntur. Receperat in se peccata omnium nostrum, sub quorum pondere usq; ad mortem laboraverat; præterea Satanam, mors & infernus omne jus suum, quod in nos habebant, contra ipsum exercebant ac tandem in crucem adegerant, sed quia ex angustiis illis liberatus & ex morte cluctatus est, hoc certum nobis esse debet argumentum, quòd plenam satisfactionem pro peccatis nostris præstiterit & perfectam justitiam, quâ coram Deo consistere possumus, nobis adduxerit, siquidem cœlestis Pater ratam habet solutionem sibi præstitam & ipso facto declarat sibi plenè satisfactum esse, ac nos plenè ipsi reconciliatos. In horto Christus coram facie Patris cœlestis procumbit, provolvitur in terram instar vermiculi, laborat sub torculari iræ divinæ, ideoq; supplex orat, calicem illum à se auferri, sed Pater cœlestis ibi nondum annuit, quinimò torrentem iræ ipsi proponit, & ostendit multa prius ipsi sustinenda esse, antequam pro peccatis mundi plenè sit satisfactum: cum verò omnia jam consummata essent & per facta redemptio præstita, tunc demum gloriose cum ex mortuis reducit, liberat eum ex carcere, in quem propter peccatorum nostrorum debita conjectus erat. Atq; huc potissimum respicit Scriptura, quando Christum à Patre cœlesti resuscitatum esse toties asserit Act. 2. 24. c. 3. 15. &c. ut sciamus, Patrem habere ratam Filii satisfactionem & propter eam humano generi placatum esse, si enim creditor sponsorem ex carcere dimittit, id argumento est, quòd plenè ipsi satisfactum sit. Inde Paulus 1. Cor. 15. 17. dicit: *Si Christus non surrexisset, nos adhuc essemus sub peccatis*. Ergo à contrario sensu, quia Christus resurrexit, ideo non amplius sumus sub peccatis, nimirum quia præstita est plena pro eis satisfactio, ut non amplius coram Dei judicio nos condemnare possint: inde etiam Petrus 1. Epist. 3. v. 21. asserit, *fedus bonæ conscientie erectum esse cum Deo per resurrectionem Jesu Christi*. Quia Christus resurrexit, ideo pacatam & tranquillam conscientiam habere possumus, scimus enim pro peccatis, quæ Deum & nos dividebant, per Christum satisfactum, nosque Deo reconciliatos esse. Hæc omnia paucis verbis Christus complectitur, quando

quando dicit: *Vade, dic fratribus meis, ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*, ex reconciliatione enim illa nostri cum Deo beata illa fraternitas oritur: quia Christus sua passione & morte nos Deo reconciliavit, ut sit Pater noster, ideo etiam sumus fratres Christi, qui est Filius Dei unigenitus. Ulterius quia Deus est Pater, & Christus frater noster, ideo sumus *heredes Dei & coheredes Christi*, ut colligit Apostolus Rom. 8. v. 17. quæ enim ac qualis esset fraternitas & *ipso Deo absque hereditate?* honoraria magis & nominalis quam vera & realis. Ubique est vera fraternitas, ibi etiam est communis hereditas. Sumus ergo heredes Dei, quia ipsius filii, & coheredes Christi, quia ipsius fratres sumus. Quæ vero est illa hereditas? Eph. 1. v. 18. vocatur *πλῆρες ἡ δόξης καὶ κληρονομίας*, h. e. dives & gloriosa hereditas; & quid complectatur hæc hereditas, latè ibidem exponitur, quòd scilicet *Deus nos elegerit in Christo ante iacta mundi fundamenta*, v. 4. quòd benedixerit nos in eo omni benedictione spirituali in celestibus, vers. 3. quòd ordinaverit nos in *ipso Deo sicut per ipsum*, v. 5. quòd nos gratos & dilectos habeat in ipso, vers. 6. quòd in ipso habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum, v. 7. quòd obsignet nos Spiritu Sancto, qui est pignus illius hereditatis nostræ, vers. 14. &c. Hæc profectò est dives & gloriosa hereditas. In Papatu excogitarunt varias fraternitates, quia Monachi persuaserunt divitibus, quòd possint illis merita sui ordinis communicare pro pecunia vel redditibus sibi donatis. Sed Matth. 23. v. 9. docemur, neminem de suo oleo alteri posse communicare. Tertull. lib. de pudic. c. 22. *Si peccator es, quomodo oleum faculae tue sufficere, & tibi & mihi poterit?* Psal. 49. v. 8. *frater non redimet fratrem à morte*. Tales igitur fraternitates sunt iniuriæ in hæc beatissimam fraternitatem, quæ nobis intercedit cum Christo, qui solus est dignissimus ille frater noster, qui duplici iure regnum caelorum obtinens, altero pro se contentus est, alterum vero nobis donat, ut Bernhardus in agone hæc consolatione se sustentavit lib. 1. in ipsius vita c. 13. Injuriæ etiam sunt in hæc fraternitatem, qui de gratia Dei Patris desperant, qui non patrisant insistentes vestigiis cælestis Patris, qui cum fratribus reliquis non alunt concordiam &c. possunt hæc latius deduci, nobis sufficit digitum ad ea solum intendisse. Vide Luth. in concione super hæc verba tom. 5. Jen. Germ. fol. 334.

Tertius resurrectionis Dominicæ fructus est nostra resuscitatio: *Ascendo ad Deum meum & Deum vestrum*, ait Christus, h. e. quemadmodum Pater cælestis ex morte me suscitavit, quia est Deus meus: ita quoque vos ex morte olim suscitabit, quia est etiam vester Deus, sicut hæc argumentandi formam docet nos ipse Christus Matth. 22. vers. 32. Marc. 12. v. 27. Luc. 20. v. 38. *DEUS est Deus Abraham, Isaac & Jacob; jam verò Deus non est Deus mortuorum, sed viventium. Ergo Abraham, Isaac & Jacob coram ipso vivunt*, qui Syllogismus concludit vi materiæ, ut autem vi formæ etiam concludat, informandus est hoc modo: Quorumcumque Deus est Deus, illi vivunt, h. e. quos Deus tanto complectitur favore & amore, ut se ipsorum Deum vocare non erubescat, illorum animæ etiam post mortem naturalem coram ipso in perpetua lætitia vivunt & corpora illorum ad vitam suscitabit. Jam vero Deus est Deus Abraham, Isaac & Jacob, Ergo Abraham, Isaac &

Jacob vivunt. Eodem modo ex hoc dicto Christi omnes verè credentes argumentari possunt & debent, quia Christus Deum vocat ipsorum Deum, ideo ex morte in vitam olim suscitabuntur. Hæc consolatio admodum necessaria est; quamvis enim hostes nostri per Christi passionem, mortem & resurrectionem sint victi, tamen peccatum in carne adhuc habitans ad malum nos sollicitat, Diabolus suis tentationibus nos oppugnat, mors temporalis nos enecat, sciamus autem fore aliquando, ut *mors plane absorbeat in victoria* Esa. 25. v. 8. 1. Corinth. 15. v. 54. quando scilicet Christus ex mortuis vi resurrectionis suæ etiam nos suscitabit, inde Paulus dicit, Christum ideo resurrectisse, *ut mortuis ac viventibus dominetur* Rom. 14. v. 9. ac Petrus asserit, *Deum nos regenerasse in spem vitam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis* 1. Pet. 1. v. 3. h. e. Christus resurgens hæc spem nobis fecit, quòd ad vitam olim resuscitandi sumus, cum ipse sit resurrectio & vita Joh. 14. vers. 25. Hæc omnia brevissimis verbis Christus complectitur, quando dicit ad Mariam Magdalenam: *Vade, dic fratribus meis, ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum*. Quamvis enim ad Apostolos solum hoc nuncium afferri jubeatur, tamen beata illius fraternitatis etiam nos participes sumus, modo verà fide Christum apprehendamus. Generaliter enim dicitur Johan. 1. v. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus* Heb. 2. v. 11. *Qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno omnes, propter quam causam non erubescit eos fratres vocare &c.* Rom. 8. v. 29. Christus dicitur *primo genitus inter multos fratres*, h. e. omnes verè credentes, quia beata illa fraternitas non tam in Naturæ communiōne, quam in spirituali per fidem conjunctione fundata est. Atque hæc sunt potiora capita, ad quæ Christus in prima post resurrectionem suam concione respicit, quam habuit ad Mariam Magdalenam, eo ipso die, quo mane surrexerat; Quidam ut Euthym. & Victor Antioch in Marc. putant verba illa apud Marcum, *mane prima Sabbathi*, non ad præcedens verbum *ἀναστὰς* sed ad sequens *ἐφωσθη* referenda esse, ut sit sensus, Jesum non surrexisse mane primæ Sabbathi, sed cum jam prius surrexisset, postea mane primæ Sabbathi apparuisse Mariæ Magdalene. Sed verisimilius est, Evangelistam tempus resurrectionis Dominicæ his verbis exprimere voluisse, cum probatissima exemplaria distinctionem habeant post verbum *mane*, non autem antè, cumque hæc descriptio temporis congruat cum superiore temporis notatione. Adde quod Maria Magdalena non viderit Dominum, quando primæ vice summo mane cum aliis mulieribus ad sepulchrum venit, sed quando eò iterum reversa Petro & Johanne discedentibus ibidem remansit plorans, quòd circa secundam diei horam contigisse verisimile est. Quare verò illo ipso resurrectionis die, Mariæ Magdalene & mulieribus reliquis Apostolo Petro & discipulis reliquis apparere voluerit, ejus rei causa inferius exponetur. Quare primò omnium Mariæ Magdalene apparere voluerit, ex circumstantiis colligi potest. Marcus addit, *hanc esse Mariam Magdalenam, à qua septem Dæmonia Christus olim eiecerat*. Videmus igitur, quòd primum post suam resurrectionem non appareat alicui Monarchæ, sed mulieri, quòd est genus hominum imbecille

becille ac miserum; quod appareat flenti ac lugenti, quod est calamitatis & afflictionis argumentum; denique quod appareat ei, à qua septem Dæmonia eiecerat, hoc est, peccatrici & à Satana captivæ, ut ostendat, resurrectionis suæ fructum pertinere ad homines miseros, contemptos, calamitatibus & afflictionibus oppressos, ut ex miseria ad felicitatem, ex tristitia ad gaudium, ex morte ad vitam per illam transferantur; itemque resurrectionem suam esse liberationem à peccatis & potestate Satanae &c.

3. Tandem addunt Evangelistæ, quis fuerit effectus hujus concionis in Maria Magdalena. Jussa erat Apostolis ea referre, quæ ex Christo audierat; huic mandato obsequentem sese præbet, & ex vera fidei obædientia sine mora discipulis ea quæ viderat & audierat, renunciat. Enarrat eis 1. quod viderit Dominum; non dicit, Christum surrexisse, sed *ἀὐτὸν ὄψαμ* allegat, quod ipsum redivivum conspexerit, ut rem certam & exploratam à se nunciari ostendat, quo ipso etiam revocat prius nuncium de Christi corpore sublato. 2. quod talia ei dixerit, puta de sua ad Patrem ascensione & quod fratrum appellatione discipulos honoraverit. Ut ergo olim in Paradiso mulier mortifera serpentis verba nunciavit, ita hoc loco mulier nunciat verba vivificatoris. Hanc fidei obædientiam in Maria Magdalena exempli loco ad imitationem nobis propolitam statuamus, ut Christum surrexisse verè credentes etiam

alios ad ejus cognitionem perducere studeamus. De discipulis, ad quos lætissimum istud nuncium pertulit, commemoratur 1. quod lætuit & fletibus dediti fuerint, cum Maria ad ipsos veniret, nimirum incredulitas est causa lætuit & lacrymarum, sicut fides gaudii & lætitiæ. Audierant Apostoli ex mulieribus *ἡμεῖς ὄπισθ' ἀπὸ τοῦ σελύχρου* à sepulchro reversis, Angelicum de resurrectione Christi testimonium, cum verò fidem illi adhibere recusarent, indulgebant lætuit & fletibus. 2. quod ne huic quidem Mariæ Magdalena nuncio crediderint, cum tamen ipsummet Christum à se conspectum illis renunciet. Nimirum incredulitas, ubi semel in cordibus radices egit, difficulter evelli iterum potest. Greg. hom. 22. in Evang. non inficite monet, quod discipuli resurrectionem Christi adeò tarde credunt, *eam non tam esse illorum infirmitatem, quam nostram firmitatem, dubitantibus enim resurrectio per multa argumenta demonstrata est, quibus & nos firmius in fide solidamur, ipsorum igitur dubitatio est nostra confirmatio.* Leo serm. 1. de ascens. Dom. cap. 1. *Hæitationem illam humana infirmitate nutantem nequaquam permisisset Spiritus veritatis prædicatorum suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida sollicitudo & curiosa cunctatio nostræ fidei fundamenta jecisset. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis.*

Quid plorem? lachrymas omnes resurrectio Christi sustulit, hæc vitæ fons & origo novæ est,

CAPUT CCIX.

ANGELI MULIERIBUS ALTERA VICE AD SEPULCHRUM REVERIS CONCIONANTUR, QUIBUS CHRISTUS IPSE MOX SESE CONSPICIENDUM EXHIBET.

MATTH. 28. v. 5. MARC. 16. v. 5.

RATIO ORDINIS.

Quærendum superius aliquot argumentis, concionem illam Angeli, quam Lucas ad mulieres, Christum ungere volentes, habitam fuisse refert, distinguendam esse ab ea, quam Matthæus & Marcus ad easdem ab Angelo habitam commemorant. Præsupponendum igitur, quod ipso resurrectionis die hæc mulieres bis ad sepulchrum Christi exiverint, primò quidem hoc fine, ut Christum, quem nondum noverant resuscitatum, ungerent: secundo autem ut rei certitudinem accuratius inquirerent, & Christum ipsum, quem à Maria Magdalena circa sepulchrum redivivum conspectum esse audierant, ipsæmet quoque videre possent. Quod enim manifestatio Christi facta Mariæ Magdalena præcesserit eam, quæ in hac Historia describitur, quod mulieribus ad sepulchrum reversis facta sit, colligitur ex eo, quod Marcus disertè asserit, Christum *ἀναστὰς πρῶτον* primo loco apparuisse Mariæ Magdalena. Cogitari igitur potest, quod Maria Magdalena non fo-

lùm discipulis, sed etiam mulieribus his retulerit, quod circa sepulchrum Christum redivivum conspexerit, cumq; eo locuta fuerit, atq; hoc nuncio excitatas fuisse has mulierculas, ut denuò ad sepulchrum exirent, certâ spe ductæ, fore ut sibi quoque hæc felicitas contingat, ut Christum, quem sincero amoris affectu prosequabantur, ibi videre possint. Calvinus existimat, *apparitionem Christi factam his mulieribus, quam Matthæus describit, esse eandem cum apparitione facta Mariæ Magdalena, quam describit Johannes; statuit igitur per synecdochen ad omnes à Matthæo extendi, quod unius fuit proprium.* Sed hæc opinio non convenit descriptioni Evangelistarum. Marcus enim velut peculiare quid commemorat, quod Christus primo omnium Mariæ Magdalena apparuerit. Et quod distinctæ sint illæ apparitiones, patet ex eo, quod Maria Magdalena prohibetur Christum tangere, reliquæ verò sine ulla prohibitione accedunt & tangunt, aliam etiam concionem audit Maria Magdalena, aliam mulieres reliquæ: Maria Magdalena videt Christum circa sepulchrum, reliquæ verò in via,